

POST  
NVBILA PHOEBVS.

HVNC

IN FASCIBVS  
PRAECONSVLARIBVS

*VIRI*

PER MAGNIFICI GENEROSI MAXIME-  
QVE STRENTI DOMINI

DOMINI

IO. FERDINANDI  
IVNGSCHVLTZII

ALIAS

NEODICI DE ROEBERN

CONSVLIS PATRIAe VRBIS HACTENVS GRAVISSIMI  
NEC NON IUDICIS TERRESTRIS  
BELLI ARMORVMQUE VT ET PROVENTVM PORTORII  
PRAEFECTI LONGE MERITISSIMI

VOTIVOS INTER O. O. APPLAVSVS

D. XXIII. MARTII MDCCCLXII

EXORIENTEM

REIPVBLCAE ELBINGENSIVM

PIE GRATVLATVR

GYMNASIVM DRVSIACVM

INTERPRETE HVMIILLIMO

IOANNE LANGIO

ATHEN. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE

TYPIS NOHRMANNIANIS.



**I**n rebus audax ambiguis premit  
Fortuna semper Drusipolin, neque  
Tellure decedunt dolores,  
Tristia verba, querela, planctus.

Vento resultat nunc mare turgidum,  
Nunc territat nos illuvies tua,  
Nogate, nostris ac colonis  
Funera promovet ominosa.

Oliva longo pressa silentio est,  
Corrupta & atro Pax dea stat situ.  
Proh pudor! aetatem molestam  
Degimus & requie carentem.

Quae cuncta funestus renovat amor  
Mavortis, orbis qui tumulo gravi  
Laetans & armis cuspidatis,  
Gaudet habere manus cruentas.

Quid inde? terrarum inopiae graves:  
Repens egestas limina corripit:  
Famem minantur praeparatam  
Omnia, nec facile ire retro est.

Haud satis. Elbingam gravius premit  
Malum, quod Vrbem, quod patrios lares,  
Tonante Supremo, petentes  
Indomitum meliora fallit.

Mortalium dux pallidus omnium,  
Mors, falce sacrum percutit & tholum,  
Ut curiae bis Drusicorum  
Limina commoveantur alta.

Deponit ultro, quod a gravitatis ae  
Splendoris audit, R O G G I A D E S omne:  
Tuis nec annis addit annos  
B V R G G R A B I I diadema, F V C H S I.

Haec fata crescunt civibus in dies,  
Persusa tristi sollicitudine;  
Et, clade vix una fugata,  
Deterior sequitur querela.

His fastuosi fluctibus aequoris  
Nobis sepultis quis dabit exitum?  
Quis illigatos duplicato  
Nos D E V S expediet: dolore?

Verum facessant tristitia & metus,  
Atque a protervis in mare profundum  
Portentur euris. An Supremo  
Porro mihi metuam Patrono?

Pullata profecto volitans dea,  
Nox, turbulentis obsita crinibus,  
Non semper urget tecta coeli,  
Purpurea facie nitentis.

Non semper imbræ, grandoque saxeus  
Cadunt in agros; nec mare perpetim  
Notus procellosi fatigat  
Illepidus comes Orionis,

Vt non micans quandoque diespiter,  
Phoebo reducto, nubila dividat,  
Tumultuosus nec quiescat  
Impetus, undaque falsa ponti.

IVNGSCHVLTZIUS, vah ! Gloria seculi,  
Quem fama doctum publica praedicat,  
Quem justum & in rebus fidelem,  
Drusica queis patria alma ridet :

IVNGSCHVLTZIUS PER MAGNIFICVS datur,  
Virtute praestans arteque splendida,  
PRAECONSVL electus, mearum  
Grande Decus, Columenque rerum.

Iam me, beatis coetibus additum,  
Iuvat, canoram tendere barbiton,  
Et mente gratantem quieta  
Dicere : SVMM E PATR ONE, salve !

Conscende sellam, stemmate nobili  
Fulgens, curulem sidere prospero,  
Et dignitati dignitates,  
Quas T V A fama meretur, adde.

Sic fata felicem inveniunt VIRVM,  
Qui in rebus afflictis Patriae florem  
Virtute prudente gravique  
Consilio reparare gestit.

Nec spes, D E O nitens, cedit in solum.  
Ventura pacis jam recreat dies.  
Post lucis ortum pellitur nox,  
Et mea nubila Phoebus aufert.